

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XV. De affectibus et effectibus charitatis.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

- II. 14. Amaritudo cordis provenit ex infirmitate humanitatis, gravitas corporis ex sola corruptione carnis, subtilitas ingenii ex nobilitate mentis, horror pœnæ ex magnitudine criminis, valetudo corporis ex maledicto creatoris, *exactum et invitum* exilium ex corruptela perversæ voluntatis, rarum solatium causatur ex inquietudine cordis.
- II. 15. Anima quæ semel perfecto Dei amore vulneratur, nunquam deinceps a tam salubri vulnere medicatur, ut ejus oris osculo perfruatur, per quod hujus vulneris inflictio generatur.

XV. DE AFFECTIBUS ET EFFECTIBUS CHARITATIS.

- IV. 15. **V**ERA Dei dilectio quatuor affectionibus purgetur; prima est crescens desiderium; secunda affluens incommodum; tertia, mentis et corporis dulce incendium; quarta cum multa custodia perfectæ unionis vinculum. Ad hæc homo non pervenit, nisi commercium cum Deo ingerat, [omne quod tuum est, interius et exterius] offerens ei [etsi ille tibi vere dat] omne quod suum est, interius et exterius. Cum felix illa hora, qua Deus amantem animam sua excellenti consolatione visitare dignatur, illuxerit atque transierit, miro mentis gaudio fruitur, fiuntque ei cuncta dulcia quæ vanis hominibus sunt amara. Quod si tunc invenitur aspera, timeat quod unguento diabolico sit peruncta.
- IV. 16. Habet magnus amor hoc quodammodo naturale: multis non effluit lacrymis, sed ardet magno igne cœlestis adustionis; in quo fruendo longe ducitur extra se, manet tamen requiescens in se: ascendit fitque Deo proximus, manens tamen in semetipso intimus, comprehendit præ omnibus, nihilque retinet ex omnibus. O amor felicissime, ubi sunt qui te cognoscunt intime? Ipsi certe non sunt in se, imo succensi sunt ferventissimæ charitatis igne, nec unquam possunt ab ejus amore cadere. Quare? quia sic divinitate perfunduntur et circumdantur, quod quanto magis tentantur

tanto fortiores redduntur. Quare? quanto diutius in pugna morantur et amant, tanto eis Deus nobilior apparet, ipsique se in feliciores reputant et æstimant viliores. Quare? quanto enim sanctior amor, tanto anxietas gravior; quantoque consolatio multiplicior, tanto timor constantior. Verum tamen amans anima nequaquam timet crudeliter, sed reveretur metuendo nobiliter. Duo sunt quæ plangere non sufficio miserabiliter querulando : unum est, divinæ bonitatis in hoc mundo oblivio, et spiritualium imperfectio. Hinc multiplex casus necesse est ut veniat, quia perfecti homines nunquam a Dei gratia corruerunt.

Amor Dei purus hæc continet in se bona :

VI. 30.

Pacem et concordiam cum Deo conservare, ut quidquid præter peccatum evenerit cum devotione gratias referamus. Secundum est ut donis, quæ a Deo percepimus, mentis et corporis bonum ordinare studeamus. Tertium est ut *in sincera dilectione* sine crimine cum bonis moribus coram Domino ambulemus. Quartum est ut omnium virtutum copiam in nobis instituere totis viribus studeamus. O utinam, has haberem et in omnibus *actibus et eventibus* veraciter exercerem! hoc ego omni contemplationi præponerem, quæ haberi poterit in hac vita; quid enim prosunt sermones magnifici sine misericordiæ operibus *et mansuetudine cordis pacifici*? Quid valet amor ad Deum cum persecutione bonorum et innocentium proximorum? Dicit forsitan quis : si Deus mihi hoc donaret, facerem utique quod deberem. Audi nunc : Virtus partim ex Dei dono, partimque ex nostro dependet arbitrio. Cum Deus mentes nostras ad veritatem illuminat, exequantur in opere quod lux demonstrat.

XVI. DE DUABUS SPONSIS CHRISTI ET DIABOLI.

AUDITE NUNC quæ scribo de spirituali sponsa et de sæculari femina. Sponsa spiritualis loquitur ex luminosa Spiritus Sancti gratia absque sui cordis molestia; contra, secularis

III. 24